AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII. DECEMBRIS MAGISTRO DIONYSIO GVERIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

604.

An torpor ventriculi omnium confusio?

NIHIL quod vitam non habeat alimento nutriente, tanquam nutriente, & nutrituro opus habet. Nutritionis necessitas à perenni triplicis substantiæ dissipatione pendet. Amicus idem & inimicus perhibetur calor, qui fouens vitam ac sustentans, humidum tamen primigenium, pingue, glutinosum, halituosum sorbillat perpetuò: carpítque & carpitur vnà, suppliciúmque suum est: substantiam humidam digerit in vapores, vrinas, sudores: solidam extenuando atterit, spirituosam dissipat. Hinc sitis, fames, respiratio: quarum illa potus, hæc cibi est appetitus: tertia ab aëre refrigerium petit & spiritus pabulum. Inspiratũ aërem pulmo excipit, conficit, præparatque cordi. Esculenta & potulenta, quæ sine molestia ferri non possunt in pulmones, auidè capit ventriculus. Sed ipsum aliquâ parte oneris leuant dentes cibum præparando. Incisores cultrimodo diuidunt, canini confringunt, molares molunt comminuúntque. Cui confectioni consulit suo motu lingua, gustus instrumentum: adiuuant tonsillæ saliuâ fauces & os perfundendo.

PRIMAS obtinet ventriculus: vt alimenti promus cõdus, quãuis coqui instar coquendis solùm vacet cibis, rex tamen meritò totius corporis nuncupãdus, nulli aliarum partium cedens necessitate. Amplus & capax esse debuit, rotundus, & oblongus, duplici substãtiâ membranosâ; interiori neruosâ œsophago, linguæ, palato, & ori continuatâ: exteriori magis carnosâ, omni fibrarum genere instructus, sub diaphragmate inter iecur & lienem positus: superno & inferno orificio donatus, stomacho famis & sitis sede, quo admittuntur cibi: & pyloro, quo iam confecti demittuntur: à pharynge (cuius motus in deglutiendo voluntarius) suum opus inchoat. Rudem adhuc & indigestam molem vt rectiùs aggrediatur, se in angustum cogit, vt illam, ne fluitet, vndique & arctè comprehendat, quoad insitâ proprietate cibos attritos & læuigatos mitificando, elixando, mutandoque in chylum consistentiâ cremoris hordei, colore album, sapore dulcem, nulli tamen partium corporis, nedum ipsimet ventriculo alimento futurum, transmiserit & sugi siuerit eundem ab hepate per venas mesaraicas commune chyli & sanguinis vehiculum.

COCTIO igitur (per somnum meliùs quàm per vigiliam fieri solita) alteratio nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur, alia atque alia desideratur: hîc segetes, illîc veniunt feliciùs vuæ, Chylosis, in vtero fœtui denegata, in fundo ventriculi: Sanguificatio in solo hepate: Assimilatio in singulis partibus perficitur; vt varias mutationes subiens alimentum longe purius, defæcatius, & dulcius euadat, alendísque diuersæ indolis partibus accõmodatius. Nec vno eodémque succo gaudet vnaquæque pars. Quærit suum pulmo, suum lien, suum cerebrum, suum os, humorum diuersitatem quandam prouidè dispensante naturâ. Cæterum nutrix facultas, quæ per totam perennat vitam, nec vllas in vllâ parte agit ferias: quatuor ministris comitata, attractrice, retentrice, coctrice, expultrice, triúmque principatuum virtute per venas, arterias, neruos influente recreata à partis procedit temperie & laudabili structurâ: quemadmodum ab intemperie & vitiosá conformatione triplex vitium, nutritionis abolitio, deprauatio, imminutio.

AB intemperie, simplici, compositâ, nudâ, cùm materiâ, æquali, inæquali, si quando delinquit ventriculus, id repetendum videtur. imbecillitas diuturnæ & insignis intẽperiei soboles, plurimùm refert an aliquã prehendat nutritiarum partium. vitalis & animalis facultas tales existunt, qualis naturalis, veluti reliquarum radix & fundamentum: hæc si optimo temperamento prædita est, si robusta, & illæ necessariò in κράσει καὶ συστάσει actionúmque integritate excellant oportet. Alteram alterius non posse carere auxilio, dandi & accipiendi iuuari vicissitudine & iniuriis communibus affici non negamus. Vt, si probi & laudabilis commeatus penuria accedit, si intercipitur ἀνάδοσις, si nimium conniuent & subsidunt meatus, si habitus per diathesim hecticam quicquid appellit alimenti planè respuit, an non facile omnes riuuli, imo ipsi fontes quibus corporis moles alluitur, aliturue, exarescunt, omnesque simul facultates suo fraudatæ genio exoluuntur? paruus quidem error in principio, sed maximus in fine. Non enim iecur licet bene moratum & constitutum defectum hunc resarcire valet; nec item venosum genus, nec partes singulæ sanguinem male elaboratum, aut iam fere exhaustum restituere ac instaurare.

VENTRICVLVS itaque si ignauiùs quàm par sit suo fungatur munere: si segniùs trahat, debiliter contineat, tardè concoquat, præposterè excernat, vnde νάρκωσις consequatur: quò minùs probè fiant χόλωσις, αἱμάτωσις, ὁμοίωσις, auctor erit præcipuus. Nam imperfectâ coctione, quam μώλυνσιν Græci vocant, & secretione, quæ calore naturali proprióque indiget, puri ab impuro, homogenei ab heterogeneo minimè factâ, hepar quam accepit crudam, grauem, confusam materiam per venam cauã reddens cordi, atque singillatim distribuens, non amplius fons gratiosi humoris, sed saburra potius, & impuræ colluuiei fomes censeri meruit: non iam spiritus vitales & animales, qui tenuitate suâ proprióque impetu passim feruntur, sinceri, ætherei, sed turbidi & caliginosi: non integer & alimentarius sanguis, non arteriosus, non συῤῥοὴ, (qua subinde partium solidarum viuacitas fluxa reparatur) non ipsa εὐεξία, à quâ actiones obeuntur perfectiùs, expectantur. sed retrò contráque succis omnibus súsque déque & promiscuè confusis, & tam in venis quàm reliquis partibus, cumulatâ impuritate ad ὁμοίωσιν prorsus ineptâ, morborum pene omnium internorum & externorum fœtura ἀδιαφόρως succedat necesse est.

51

Ergo ventriculi torpor omnium confusio.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS PIIART Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Renatus Moreau. · *M. Iacobus Cousinot.* · *M. Nicolaus Pietre.*

M. Dionysius Allain. · *M. Petrus de Beaurains.* · *M. Iacobus Cousinot.*

M. Lazarus Pena. · *M. Ioannes Texier* · *M. Petrus Seguyn M. R.*

